

Non distulit resurrectionem suam, ne tu adhuc dubitares. Eo ergo fine patere et tolera tribulationes in mundo, quem attendisti in Christo: et non te moveant qui faciunt mala, et in isto sæculo florent. « Nimis profundæ factæ » sunt cogitationes Dei. » Ubi est cogitatio Dei? Ad præ-sens habenas laxat; sed postea astringet. Noli gaudere ad piscem, qui in esca sua exultat; nondum traxit hamum pescator: nam jam ille hamum habet in fauibus. Et quod tibi videtur longum, breve est: omnia ista cito transeunt. Quid est longa vita hominis ad æternitatem Dei? Vis esse longanimis? Vide æternitatem Dei? Nam attendis ad dies tuos paucos, et diebus tuis paucis vis impleri omnia. Quæ omnia? Ut damnentur omnes impii, et coronentur omnes boni. Iстis diebus tuis vis haec impleri? Implet illa Deus tempore suo. Quid tu tedium pateris et facis? Æternus est, tardat, longanimis est: tu autem dicis: Ideo ego non sum longanimis, quia temporalis sum. Sed in potestate habes: junge cor tuum æternitati Dei, et cum illo æternus eris. Quid enim dictum est de temporalibus? « Omnis » caro fœnum, et omnis claritas carnis ut flos fœni: fœ- » num aruit, et flos decidit¹. » Omnia ergo arescunt et decidunt: non verbum illud. « Verbum enim Domini ma- » net in æternum. » Transit fœnum, transit claritas fœni: sed habes quo te teneas; « Verbum Domini manet in æter- » num. » Dic ergo illi: « Nimis profundæ factæ sunt co- » gitationes tuæ. » Tenuisti lignum, transis per istam profunditatem. Vides ibi aliquid? intelligis ibi aliquid? Intelligo, dicas. Si jam Christianus es, et bene eruditus, dicas, Deus judicio suo reservat omnia. Boni laborant, quia flagellantur ut filii: mali exultant, quia damnantur ut alieni. Duos filios habet homo; alterum castigat, alterum dimittit: facit unus male, et non corripitur a patre; alter

¹ Isaï. xl, 6-8.

mox ut se moverit, colaphis cæditur, flagellatur. Unde ille dimittitur, ille cæditur, nisi quia huic cæso hæreditas servatur, ille autem dimissus exhæredatus est? Videt eum non habere spem, et dimittit eum ut faciat quod vult. Puer autem qui flagellatur, si cor non habuerit, et imprudens fuerit et stultus, gratulatur fratri suo qui non vapulat; et gemit de se, et dicit in corde suo: Tanta mala facit frater meus, quidquid vult facit contra præcepta patris mei, et nemo illi facit verbum durum, ego mox ut me movero, cædor. Stultus est, imprudens est: atten-dit quid patitur, non attendit quid illi servatur.

IX. Ideo dixisset: « Nimis profundæ factæ sunt co- » gitationes tuæ: » subjicit statim, « Vir imprudens non » cognoscet, et stultus non intelliget ea¹. » Quæ sunt quæ non intelliget stultus, et quæ non cognoscet impru- » prudens? « Cum exoriuntur peccatores sicut fœnum². » Quid est, « Sicut fœnum? » Virent cum hyems est: sed arescent æstate. Attendis florem fœni. Quid citius transit? quid lucidius? quid viridius? Non te delectet viriditas ipsius, sed time ariditatem ipsius. Audisti « Peccatores sicut fœ- » num, » audi et justos: « Quoniam ecce. » Interim vi- » dete peccatores, sicut fœnum florent, bene: sed qui sunt qui non cognoscunt? Stulti et imprudentes. « Cum exo- » riuntur peccatores sicut fœnum, et prospexerint omnes » qui operantur iniquitatem³. » Omnes qui in corde suo non recta sentiunt de Deo, prospexerunt peccatores exo- » rientes sicut fœnum, id est, florentes ad tempus. Quare illos prospiciunt? « Ut intereant in sæculum sæculi. Atte- » dunt enim florem ipsorum temporalem, imitantur illos, et volentes cum illis florere ad tempus, intereunt in æter- » num: hoc est, « Ut intereant in sæculum sæculi.

X. « Tu autem Altissimus in æternum es, Domine. »

¹ Psal. xci, 7. — ² Ibid. 8. — ³ Ibid. 10.

Expectans desuper ex æternitate tua quando transeat tempus iniquorum, et veniat tempus justorum. « Quoniam » ecce. » Intendite, fratres. Jam et ipse qui loquitur : (Loquitur enim ex persona nostra, loquitur ex persona corporis Christi : Christus enim loquitur in corpore suo, id est, in Ecclesia sua.) jam junxit se æternitati Dei : sicut vobis paulo ante dicebam, longanimis est Deus et patiens, omnia ista quæ videt mala a malis fieri, tolerat. Quare? Quia æternus est, et videt quid illis servet. Vis et tu esse longanimis et patiens? Junge te æternitati Dei, cum illo expecta illa quæ infra te sunt : cum enim adhæserit cor tuum Altissimo, infra te erunt omnia mortalia : et dic quod sequitur, « Quoniam ecce inimici tui peribunt. » Qui modo florent, postea peribunt. Qui sunt inimici Dei? Fratres, forte illos solos putatis inimicos Dei qui blasphemant? Sunt quidem et ipsi, et atroces isti qui nec lingua nec cogitationibus malis parcunt injuriis Dei. Et quid faciunt Deo excelso, æterno? Si pugno in columnam ferias, tu læderis: et putas quia blasphemia Deum percutiens non tu disrumperis? nam nihil facis Deo. Sed inimici Dei aperte blasphematores sunt, et quotidie occulti inveniuntur. Cavete tales inimicitias Dei. Quosdam enim occultos inimicos Dei Scriptura aperit: ut quia non illos potes nosse corde tuo, neveris illos in Scriptura Dei, et caveas inveniri cum illis. Aperte didit Jacobus in Epistola sua, « Nescitis quia amicus hujus mundi, inimicus Dei constituitur¹? Audisti. Non vis esse inimicus Dei? Noli esse amicus hujus mundi. Nam si amicus fueris hujus mundi, inimicus eris Deo. Quomodo enim non potest fieri adultera conjux, nisi inimica sit viro suo: sic anima adultera amore rerum sacerularium, non potest nisi inimica esse Deo. Timet, sed non amat: poenam timet, non justitia delectatur. Ergo

¹ Jacob. iv, 4.

inimici Dei omnes amatores mundi, omnes inquisitores nugarum, omnes consultores sortilegorum, mathematicorum, pythonum. Intrent Ecclesias: non intrent Ecclesias, inimici Dei sunt. Ad tempus possunt florere sicut foenum: peribunt autem, cum ille inspicere cœperit, et judicium suum in omnem carnem adduxerit. Junge te Scripturæ Dei, et die illud cum illo Psalmo, « Quoniam ecce inimici tui peribunt: » Non ibi inveniaris, ubi peribunt. « Et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem. »

XI. Quid tu qui laboras modo, si inimici Dei peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem? Tu qui inter ista scandala, inter iniquitates humanas gemis, qui tribularis in carne, sed gaudes in corde, quid tu? quæ tibi spes, o corpus Christi? O Christe, qui in cœlis sedes ad dexteram Patris, sed pedibus tuis et membris tuis laboras in terra, et dicas: « Saule, Saule, quid me persequeris¹? » tu quam spem habebis, si inimici Dei peribunt, et dispergentur omnes qui operantur iniquitatem? quid tibi erit? « Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum². Quare dixit, « Sicut unicornis? » Aliquando unicornis significat superbiam, aliquando unicornis exaltationem unitatis significat: quia unitas exaltatur, omnes haereses cum inimicis Dei peribunt. « Et exaltabitur sicut unicornis cornu meum. » Et quando erit? « Et senectus mea in misericordia pingui. » Quid dixit, « Senectus mea? » Novissima mea. Quomodo in ætatibus nostris novissima senectus est: sic totum hoc modo patitur corpus Christi in laboribus, in ærumnis, in vigiliis, in fame, in siti, in scandalis, in iniquitatibus, in pressuris, juventus ipsius est: senectus ipsius, id est, novissima ipsius in lætitia erunt. Et intendat Charitas Vestra, quia dixit senectutem, ne putetis et mortem: homo enim in carne ideo senescit, ut moriatur.

¹ Act. ix, 4. — ² Psal. xci, 11.

Senecta Ecclesiæ candida erit recte factis, morte autem non corrumpetur. Quod est caput senis, hoc erunt opera nostra. Videtis quemadmodum canescat caput, et inalbescat, quantumcumque senectus accedit. Qui bene senescit ordine suo, quæreris illi aliquando in capite capillum nigrum, et non invenis: sic cum fuerit vita nostra talis, ut quæratur nigritudo peccatorum, et non inveniatur, senecta ista juvenilis est, senecta ista viridis est, semper virebit. Auditis de foeno peccatorum, audite de senecta justorum: « Senectus mea in misericordia pingui. »

XII, « Et respexit oculus meus in inimicis meis. » Quos dicit inimicos suos? Omnes qui operantur iniquitatem. Noli attendere quia amicus tuus est iniquus: incurrat negotium, et ibi illum probas. Incipis venire contra iniquitatem ipsius, et ibi videbis, quia quando tibi blandiebatur, inimicus erat; sed nondum pulsaveras, non ut institueretur in corde quod non erat, sed ut erumperet quod erat. « Et respexit oculus meus in inimicis meis: et in eis qui insurgunt in me malignantibus, audiet auris mea¹. » Quando? In senecta. Quid est, in senecta? In novissimo. Et quid audiet auris nostra? Stantes ad dexteram audiemus quod dicetur eis qui sunt ad sinistram, « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus². » Ab isto auditu malo justus non timebit. Scitis quia dictum est in quodam Psalmo, « In memoria æterna erit justus, ab auditu malo non timabit³. » Quo auditu malo? « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus. » Et in eis qui insurgunt in me malignantibus, audiet auris mea. »

XIII. Transit foenum, transit flos peccatorum: quid de justis? « Justus ut palma florebit. » Illi exoriuntur sicut foenum: « Justus ut palma florebit. » In palma altitudinem significavit. Forte et hoc significavit in palma, quia

¹ Psal. xci, 12. — ² Matth. xxv, 41. — ³ Psal. cxi, 7.

in novissimis suis pulchra est: ut initium ejus a terra ducas, finem ipsius in cacumine, ubi habet totam pulchritudinem: aspera radix videtur in terra, pulchra coma sub celo est. Erit ergo et tua pulchritudo in fine. Radix tua fixa sit: sed sursum versus habemus radicem nostram. Radix enim nostra Christus est, qui ascendit in celum. Humiliatus exaltabitur. « Velut cedrus in Libano, multiplicabitur. » Vide quas arbores dixit: « Justus ut palma florebit; velut cedrus in Libano, multiplicabitur. » Numquid cum sol exierit, arescit palma? numquid arescit cedrus? Cum autem sol candens aliquando fuerit, arescit foenum. Veniet ergo judicium, ut arescant peccatores, et virescant fideles. « Velut cedrus in Libano, multiplicabitur. »

XIV. « Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt. Adhuc multiplicabuntur in senecta uberi: et tranquilli erunt, ut annuntient¹. » Hoc est sabbatum, quod vobis paulo ante commendavi, unde habet titulum Psalmus. Tranquilli erunt, ut annuntient. » Quare tranquilli annuntiant? Non illos movet scenum peccatorum. Cedrus et palma nec in tempestatibus curvantur. Ergo tranquilli sint, ut annuntient: et vere, quia modo annuntiandum est et subsannantibus hominibus. O miseri homines amatores mundi, annuntiant vobis qui plantati sunt in domo Domini: qui confitentur Domino in cantico et cithara, in verbo et opere, annuntiant vobis, et dicunt vobis: Nolite seduci felicitate iniquorum, nolite attendere florem foeni; nolite attendere ad tempus beatos, in æternum miseros. Nec ista beatitudo, quæ modo foris videtur, vera est; nec in corde beati sunt, quia torquentur mala conscientia. Tu autem tranquillus esto, sperans de promissis Domini Dei tui. Quid enim annuntiabis in tranquillitate? « Quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas

¹ Psal. xci, 14-16.

» in eo. » Attendite, fratres, si plantati estis in domo Domini, si vultis florere sicut palma, et multiplicari sicut cedrus Libani, et non arescere sicut foenum sole candente: sicut hi qui videntur florere sole absente. Si ergo non vultis esse foenum, sed palma et cedrus, quid annuntiabitis? « Quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas in illo. » Quomodo non est iniquitas? Tanta mala facit, sanus est, filios habet, plenam domum, abundat gloria, exaltatur honoribus, de inimicis vindicatur, et omnia mala committit: alius innocens sui negotii, non rapiens aliena, non contra quemquam faciens, laborat in vinculis, in carceribus, in inopia aestuat et suspirat. Quomodo « Non est iniquitas in eo? Esto tranquillus, et intelliges. Nam perturbaris, et in cubiculo tuo obscuras tibi lucem. Radiare tibi vult æternus Deus, noli tibi facere nubilum de perturbatione. Esto tranquillus in te, et vide quid tibi dicam. Quia Deus æternus est, quia modo parcit malis, adducens illos ad poenitentiam; flagellat bonos, erudiens illos ad regnum cœlorum; « Non est iniquitas in eo: » noli timere. Ecce ego flagellatus sum tantum, manifestum est, confiteor, peccavi: non enim dico me justum. Hoc enim dicunt plerique. Quando est forte quisquam in aliqua miseria, in doloribus, intras consolari illum: et ille, Peccavi, fateor, sunt peccata mea, agnosco illa, sed numquid tanta peccavi, quanta ille? Ego novi quanta fecit ille, ego novi quanta commisit: peccata mea sunt, fateor illa Deo, sed minora sunt quam illius, et ecce ille nihil mali patitur. Noli turbari, tranquillus esto, ut scias « Quoniam rectus Dominus, et non est iniquitas in eo. » Quid, si te propterea flagellat modo, quia non tibi servat ignem sempiternum? Quid si illum propterea dimittit modo, quia auditurus est, « Ite in ignem æternum? » Sed quando? Cum tu positus fueris ad dexteram, tunc dicetur positus

ad sinistram: « Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus¹. » Non te ergo ista moveant: tranquillus esto, sabbatiza, et annuntia. « Quoniam rectus Dominus Deus, et non est iniquitas in eo. »

ENARRATIO

IN PSALMUM XCII.

Sermo ad plebem.

I. PSALMI hujus titulum, cum pronuntiatetur, audivimus: et quid sibi velit, de Scriptura Dei, hoc est, ex libro Genesis, non est difficile cognoscere. In titulo enim tanquam admonemur in limine quid intus quæramus. Inscriptus ergo est ita: « Laus cantici ipsi David, in diem ante sabbatum, quando fundata est terra. » Recordantes ergo per omnes dies quid fecerit Deus, quando creavit et ordinavit universa a primo die usque ad sextum diem: (septimum enim sanctificavit, quia in illo requievit post omnia opera, quæ fecit bona valde:) et invenimus eum sexto die fecisse, (qui dies hic commemoratur, quia dicit, « Ante sabbatum, ») omnia animalia in terra. Deinde ipso die fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam. Non autem sine causa illi dies sic sunt ordinati, nisi quia et sæcula sic cursura erant, antequam requiescamus in Deo. Tunc autem requiescimus, si facimus opera bona. Ad hoc exemplum scriptum est de Deo. « Requievit Deus septimo die, » cum fecisset omnia opera bona valde². Non enim

¹ Matth. xxv, 41. — ² Gen. ii, 2.